



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*IN PAROECIA S. MARIAE*IMAGO BEATAE MARIAE
VIRGINIS VULGO «NUESTRA SEÑORA

DE LA ASUNCIÓN» APPELLATAE, IN PAROECIA S. MARIAE MAGDALENAE

URBIS «MONIMBÒ» ARCHIDIOCESI MANAGUENSIS EXTANS,

PRETIOSO SINITUR DIADEMATE REDIMIRI Ad perpetuam rei memoriam. – In paroecia S. Mariae Magdaleneae urbis «Monimbò» intra fines Ecclesiae Managuensis praeclara exstat Beatae Mariae Virginis imago quam sub titulo «Nuestra Señora de la Asunción» Christifideles ibi degentes egregia pietate admodum venerantur. Qua re permotus Venerabilis Frater Michaël Obando Bravo, Archiepiscopus Managuensis, vota quoque cleri et populi expromens, Nos rogavit ut imaginem illam Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate sineremus redimiri. Nos vero, audita sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, et fidelium votis et istius Pastoris precibus libenter concedere statuimus. Itaque hisce Litteris atque Nostra Apostolica potestate, Managuensi Ordinario eas partes committimus ut imagini vulgo «Nuestra Señora de la Asunción», quam diximus, die suo arbitrio deligendo, inter Missarum sollemnia secundum formulam ritumque pretiosam coronam Nostro nomine et auctoritate imponat. Vos autem minime dubitamus quin haec sacra sollemnia in religionis bonum populique spirituale emolumentum bene vertant; pariterque fore confidimus ut cuis urbis cives quin immo totius Managuensis archidioecesis Christifideles ad Beatissimam Dei Genetricem venerandam magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Iulii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a *publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana
